MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS V: 1.9. 1.11.)

Melk, 1471

Seite 13r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

amarissimis cepit deflere vocibus. in noviter et luctuosus discipulorum. Sinnicius quoque pontifex dolore non minimo mestus efficitur. Quos blande beatissimus consolans multis ammonuit sermonibus, ut bonum certamen et ipsi certarent. cursum in caritate non ficta consummarent. fidem inviolabiliter conservarent katholicam. sicque post ipsum ad coronam iusticie bene agonizando corde properarent avido. Ita post hec appropinquante die quem vir sanctus iam dudum presciverat. languoris febre corripitur. Labescente tamen licet corpore. spiritu celestibus inhiabat. semper in celum intendens. semper ad alta suspirans. semperque horam venire desiderans. quando in gaudium domini sui fidelis dispensator et prudens assumeretur. Hoc solum molestie in corde preferens quod commilitonem suum memoratum beatum Sinnicium per separacione sui mesticia affici conspicit. Cui quam sepissime inter consolacionis verba ipsum quod et supra dixerat replicabat. scilicet non eum multo post ipsius abscessum spacio peregrinum intra futurum. sed anno expleto cursu illum se procul dubio secuturum. Una inquit peregrinari cepimus. uno labore desudavimus. uno spiritu viximus. uno quoque in fine isto anno in una eademque die celesti in gloria denuo sociabimur. Sicut vero erat predictum ita et corpora quoque nostra indivisa

Dehinc in Ctre pulvis contine valescente valitudine. Cat. cum iam sue excepcionis horam adesse sensisset. valefaciens tamen memorato beato presuli Sinnicio. quam et clero ceterisque fidelibus. acceptoque viatico in ipsis kalendis septembris glorioso transitu vir beatus cursum sue peregrinacionis feliciter consummavit. Cuius exequiis digne celebratis beatus Sinnicius corpus ipsius in ecclesia quam ipse in suburbio eiusdem civitatis construxerat. cum ympnis et laudibus honorifice collocavit. Quibus peractis regimen utriusque ecclesie beatus Sinnicius ut sibi fuerat iniunctum religioso suscepit affectu. Quodque strennue ac viriliter toto anni studuit peragere spacio. ecclesias scilicet fabricando. plebes docendo. ministros quoque ecclesie prout oportunum erat et facultas novelle adhuc plantacionis sinebat constituendo. Quique eciam cursu laboris sui bene consummato. cum iam diem vocacionis sue quem vir sanctus predixerat imminere cerneret. omnibus ydonee dispositis, ad urbem repedabat remensem. hoc scilicet animo intendens, ut obediencie bonum quod vivens viriliter exercuerat. in mortis quoque termino fideliter consummaret. plebemque ipsius secundum iussionem beati Sixti rite disponeret. et presentis vite labores ibidem eciam ipse felici terminaret obitu. Preparari itaque sibi sepulcrum fecit iuxta sarcofagum beati viri. et imminenti die olim sibi predicto infirmitatis cepit agi valitudine. Qui commonicione salubri plebem edocendo. et oracione supplici se ipsum sollicitius domino commendando. cum magno cordis desiderio diem prestolabatur optatum. Quo adveniente ut verax in omnibus beati Sixti vaticinium pareret. die supradicta videlicet kalendas septembris. eciam ipse beatam animam carne solutam. celorum gaudiis angelicam inferendam ministerio. socioque iungendam de